



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 11. Quid circa illum, qui dat recursum vel participat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

**35** §. 2. Si consentias, antequam sit posita causa efficax damni, quamvis scias illam sine te adhuc ab alio esse ponendam, nihilominus teneris restituere, v. g. tu scis, etiamsi non consentias, electionem iniustum esse faciendam ab aliis, si tu prius consentias, quam suffragia sufficientia & quidem irrevocabilia sint data, teneris ad damage inde secuta, ita *Lugo* d. 19.n. 19. & ratio dabitur n. 49.

**36** §. 3. Si adulatio non sit causa damage, sed vel sequatur post damage, vel tantum inducat latitiam in animum damnificantis, non est obligatio ad restitutionem, quia supponitur damage aliunde causatum; hinc etiam restituere non tenetur, qui rati-habet illud, quod se ignorantie est gestum, *Less. Molin. Vasq. Dian.* p. 4. t. 4. R. 64. Si tamen laus vel adulatio esset causa, cur restitutio non fieret, jam caufaret obligacionem restituendi.

**37** Q. 11. *Quid circa illum, qui dat recursum vel participat.* R. §. 1. Qui recipiunt vel præbent recursum injurianti, non tenentur restituere, si per hoc non sint causa damage facti, nec omissæ restitutionis, nec damage iterum faciendi.

**38** §. 2. Per participantem intelligitur ille, qui est socius iniustæ acceptationis, ideoque dicitur capere partem illius de cætero qui de re jam erupta participat, tenetur ex re accepta id solummodo restituere, quod accepit.

**39** §. 3. Notarius tenetur ad restitutionem, quando conficit instrumentum, ex vi cuius postea petitur usura, quia verè participat & est concausa efficax damage; uti etiam erit, si scribat sententiam aperte iniquam, ex vi cuius facienda sit executio.

§. 4.

§. 4. Si tradas Titio vinum nomine tuo vendendum, sciens Titium admixturum aquam supra morem licitum, vel venditurum minori mensurâ, participas, & teneris ad restitutionem damni ementibus causati, *Sanch. l. 1.c.7.n.37. Lugo d. 18. n. 84. contra Dian.* Ratio est, quia es causa efficax damni, cùm tu sis ille, qui vinum vendit per Titium velut instrumentum.

*Q. 12. Quid de muto, non obstante, non manifestante.* R. §. 1. Ille hic dicitur mutus, qui ante damnum illatum non monet, non clamat, non impedit; ille dicitur non obstans, qui dum fit damnum, non defendit, non prohibet, non custodit rem; ille dicitur non manifestans, qui post damnum non admonet; non revelat: hi omnes, si non teneantur ex officio vel contractu vel stipendio, peccabunt tantum contra charitatem, si omittant, quando sine incommmodo possent.

§. 2. Si Princeps hic addicat fisco merces Hollandorum, qui vicissim fisco addicant merces Titi huiatis existentes in Hollandia, fieri potest, ut teneatur compensare damna, nam si hoc fecit præcipitanter non tentatâ prius amicâ compositione, aut si illam confiscationem ita occulte fecit, ut rescire non potuerit Titius & sibi cavere, est causa injusta damni, quia non præmonuit, *Less. in auct. V. Restit. cas. 14.*

§. 3. Si scias alium velle tuo nomine damnum inferre & non prohibeas, teneris restituere, si alter sciebat suam voluntatem tibi esse notam, nec illi contradicis, illa enim taciturnitas est approbatio, per quam damnificatio promovetur, *Rebel. Dian. p. 4. t. 4. R. 64. & alii cum filiis. t. 4. d. 3. n. 180.*